



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Unde Gorgias Leontinus Sophista, jam annis gravis admodum, cum ægrotus somno altiore urgeretur, fortè è familiaribus quidam accessit, qui interrogaret, quomodo se haberet, respondit: *Iam somnus incipit suo me fratri tradere.* Ut hinc colligas, *multum dormire, esse multum mori.* Quare rectè Philosophus rogatus, quantum docti differrent ab indoctis, reddidit: *quantum vivi à mortuis.* id quod superiore Num. indicavimus. Soror Somni est *Lethe*, quæ *oblivionem* significat: quia per somnum, qui dimidium ætatis nostræ carpit, sicut bruta jacemus, omnium sensuum, & animæ facultatum nobiliorum officio destituti, unde plurimarum rerum ignorantia inducitur, apud illos præsertim, qui cum gliribus non tota modo hieme, sed etiam ætate dormiunt. Neque sine causa *Spes* inter sorores Somni censentur, quandoquidem sæpius instar somniorum evanescent.

SYMBOLVM LXII.

Charybdis & Scylla, Monstra marina voracia.

Homerus Odysf. 12. Virgil. 3. Æneid. Ovidius 7. Metam.

Ethicè.

1. Virtus inter duo extrema navigat. 2. Scopuli vitæ humanæ, Ira & Libido. 3. Mala voluptas. 4. Charybdis & Scylla, Luxuria & Gula. Item Prodigalitas. 5. Scylla Symbolum animæ corpori conjunctæ. 6. È Charybdi in Scyllam, quid.

DE Scylla & Charybdi nec Historici satis consentiunt, nec Poëtæ. Nos vulgatiore seligemus, ad mores potiùs formandos, quàm ad geographicas varietates discernendas intenti. Ad historiam quod attinet.

Scylla & Charybdis, duo sunt loca in freto siculo, valde periculosa, & naufragiis infamia; quorum alter Italiæ, alter adjacet Siciliæ. *Charybdis* gurgis est vorticosus, juxta littus Taurominitanum, Scyllæ oppositus, contrariis fluctuum occuribus in miram altitudinem assurgens, stansque temporum vicibus obvia quæque absorbens, atque iterum evomens. *Scylla* verò promontorium seu scopulus est juxta Rhegium, urbem Siciliæ, è regione Charybdis, quæ naves ingenti vi in saxa scyllæa impellit, & al-

lilas conquassat ac dirumpit. Porro fretum siculum, quia scopulosum & angustum est, tanto feruet aestu, ut fluctus inter se concurrentes, scopuloque illisi, quendam quasi latratum & ululatum referant; hinc fingitur Scylla *Canibus & Lupis succincta*; *Mulier* autem, quia procul spectantibus, formæ humanæ similitudinem præfert. Et quia sub eo promontorio petrae sunt ingentes & complures, quæ locos concavos & speluncas habent interiùs, in quibus habitant ferae marinæ, eo quoque nomine dicitur à Poëtis habere canes, qui à lateribus, pectoraque promineant, & intermant navigantes: quoniam ex inferiore loco, è concavitate saxorum scilicet, in qua latent, exeuntes, seque superiùs ex eius latere extollentes, exire è pectore ferae illæ videntur. Ibi locorum, Ulysses naufragio factò, ut Homerus tradit, socios amisit. Illic cum præternavigantis Herculis boves undæ magnam partem merisissent, dictus est is interemisse Charybdis, quia machinis quibusdam locum illum expurgavit, & navigabilem reddidit. Hæc de Historia.

Poëtarum fabulatio est ista: Charybdis vetula fuit tam furax, quam vorax: quæ cum Hercules boves aliquos suffurata fuisset, ab illo proiecta est in fretum siculum, inque monstrum marinum conversa, quæ adhuc retinet pristinam rapiendi naturam. Nam illac transeuntes naves ad se rapit, devoratque, ac revomit. Scylla verò ex formosa puella in turpe ac horridum maris monstrum abiit. Eius transformationis hæc refertur causa. 13. lib. Metam. Glaucus, Deus marinus, Scyllam *Phorci*, itidem dei æquorei, filiam (quam Maro Eclog. 6. memoriâ lapsus, aut homonymo deceptus; *Nisi* Megarensium Regis natam fuisse putat) deperibat. Igitur adit *Circem*, celebrem veneficam, ut illius & herbarum ope vicissim à Scylla amaretur. Circe illum dehortatur ab amoribus Scyllæ, & illos in se transferre studet. Despiciit Glaucus: indignatur hæc præferri sibi aliam, herbas parat, locum maris venenis inficit, ubi Scylla lavare consuecebat. Venit hæc ex more, ad æquoris lavacrum; utque aquam contigit, videt ecce canes & lupos circa umbilicum nasci: quam deformitatem monstrificam adedò exhorruit, ut sese statim in vicinum præcipitavit fretum, & in saxum mutata sit. Virgilius & Ovidius, præter Homerum, & alios Poëtas, depingunt hæc portenta. Prior quidem 3. *Æneid.*

Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet: atque imò barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
 Ora exertantem, & naves in faxa trahentem.
 Prima hominis facies, & pulchro pectore Virgo
 Pube tenus: postremâ, immani corpore pistrix,
 Delphinum caudas utero commissa luporum.

Ubi Charybdin proponit, tanquam Furiam crudelem, hostiliter & prædatoriè locum obsidentem, ad cædem & rapinam nautarum, cuius spoliarium sit ingens præcipitium, & immensa altissimâque vorago. Scylla verò ex spelunca quadam exerit ora vasta, & inde rapinam exercet, ad se naves trahendo. Est huic monstro facies humana, & quidem Virginea pectore tenus; deinceps canibus & lupis cingitur: ultima pars corporis definit in pistrin seu Delphinum. Unde Maro 10. Æneid.

Frons hominem præfert, in pistrin definit alvus.
 Er Horatius in Poëtica, ad Pisones:

----- turpiter atrum

Definit in piscem mulier formosa superne.

Ovidius 7. Metam. etiam canes adjungit.

Dicuntur montes, ratibusque inimica charybdis
 Nunc forbere fretum, nunc reddere, cinctaque sævis
 Scylla rapax canibus, Siculò latrare profundo.

Ausonius:

Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce.

Ethica.

I. (a) Nunc ad expositionem moralem, quæ itidem à variis affertur varia, nam præter solitum, in his monstris Ethicæ studium se prodat. Chorum ducat Natalis Comes, qui Mytholog. lib. 8. c. 11. ita loquitur de figmentis istis: Ego sanè virtutum, vitiorumque naturam sub hac fabula contineri crediderim: quia cum inter duo pericula naviget is, qui ex alterâ parte Scyllam, ex alterâ Charybdin; habeat; solus denique tutus & incolumis evadit, qui neutri horum periculorum magis adhæserit. Hoc quid aliud significat, quàm quod scribitur ab Aristotele in Ethicis, virtutem esse medium duorum extremorum, quæ ambo sunt vitanda? ut autem vitia devitaremus extrema, his partim femineas formas, ut invitantibus ad se, tribuerunt: partim figuras immanissimarum ferarum, ut indicarent calamitates, & pericula iis sustinenda,

Z z 3

stinenda,

(a) Virtus inter duo extrema navigat.

stinenda, quos vitia ad se trahunt. Nam quid aliud est vita mortalium, quam assidua inter varias molestias, & illegitimas voluptates navigatio? is autem unus, qui sanctè pieque vixerit, & qui vitia utrobique existentia devitaverit, incolumis in patriam, quod beatarum est animarum post hanc vitam concilium, cui præest Deus, pervenire poterit. Sed quoniam in errores aliquando collabi omnibus facilè est, & plerisque contingit; si quis illis scopulis appropinquarit, continuò est inde totis viribus recedendum. Nemo est enim ex omnibus hominibus, qui non ab ipsa natura ad voluptates incitetur. Idcirco Poëtarum omnium præstantissimus Homerus, multis amissis inde vix abnavigantem fecit Vlysem: quia pauci sunt viri fortes in periculis; & multò pauciores prudentes, ubi semel voluptatum facti sunt captivi, nec ab illis postea explicare se facilè possunt. Dicitur Scylla in hoc monstrum à cive conversa fuisse, cum mulier esset pulcherrima, quòd omnes, qui declinant à ratione, rectòque vivendi instituto, brutorum animos induant. Quid enim Circe esse dicemus? an non titillationem naturæ ad voluptates incitantem? Cum vellent igitur demonstrare antiqui (ut summatim dicam) plenissimam esse difficultatum & periculorum vitam humanam, navigantique inter gravissimos scopulos simillimam: quæ si parùm sapienter gubernetur, voluptatibus allecti homines in maximas miseras incident: hæc de Scylla & Charybdî excogitarunt: quæ jucundissimis narrationibus, & fabulosis vestierunt: ut qui parùm salutis tuæ alioquin essent studiosi, saltem suavitate figmentorum ad audiendam vitæ rectè instituendæ rationem allicerentur. Hæc Mythologus.

II. (b) Altera explicatio est P. Cornelii à lapide in cap. 5. Proverb. v. 5. *Pedes ejus (id est meretricis) descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.* Pro *penetrant*, Hebræi, sustentabunt, fulciant, fovebunt, roborabunt infernum: sicut paries sustentatur fulcro, ne cadat & pereat. Simili enim modo libido sustentat infernum, quia major pars hominum damnatur propter impuram voluptatem. Hoc veteres repræsentarunt per *Scyllam* & *Charybdin*, quas finxerunt feminas in fretum Siculum præcipitatas, in scopulum & voragine fuisse conversas; inter quas cum navigant nautæ, aquarum arctarum vorticibus abrepti, vel ad scopulum colliduntur, vel à voragine cum mercibus forbentur. Unde Scylla dicta est à *σκύλα*, id est confusio, vel ut alii, à *σπυλάν*, id est, à spoliando; aut à *σπύδεν* id est vexando. Charybdis verò à *χάσκειν*, hoc est, ab hiando, & *ροῖσσω*, sorbeo. Per Scyllam ergo

(b) Scopuli Vita humana. Ita & Libido.

ergo & charybdim repræsentarunt duos maximè periculosos humanæ vitæ scopulos, in quos major pars hominum impingit, & colliditur, scilicet *Iram* & *Libidinem*. Ira enim hominem facit amentem, in furorem agit, & in rixas, cædes, & ignes protrudit. Libido verò est quoddam animi delirium, quod hominis opes, nobilitatem, famam, sanitatem, vitam, animam, æternitatem haurit & absorbet. Facit enim amor, ut turpia videantur honesta: ac deformia, pulchra: damnosa, utilia: tristia, læta: funesta, angusta stultè amanti appareant, ut ob vilem delectationem famam & vitam prodigat & præcipitet. Ita Fulgentius lib. 2. Mythol. & ex eo Cornelius.

III. (c) Præterea per hæc duo monstra intelligitur mala *voluptas*, quæ, quod etiam in Harpyis, Sirenibus, Sphinge, notamus, *virginis* ora præfert, hoc est, blandè allicit, suaviter trahit, insidiosè implicat. Sed quid? in medio succincta canibus, in imo desinit in piscem. Ut intelligas, in quas feras incidas, dum libidini cedis. Nam *Canes*, quid aliud sunt, quàm oblatrantis conscientiaæ tumultus & tormenta? quid *pistris*, aut delphini cauda, quàm summæ lubricitatis symbolum? Quid enim fugacius & lubricius voluptate impura? In adagiis est: *Delphinum cauda ligas; vel anguillam caudâ tenes*. Sed non retines, quid quid agas: compressis etiam elabetur manibus: Poëta canit.

Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.

Hæc utraque manu, complexûque asserere toto:

Illæ fluunt imo sic quoque lapsa sinu. Martialis lib. 1. Et notandum, quod ex Horatio attulimus, Scyllam mulieri formosæ similè, in turpis monstri caudam desinere; sunt enim voluptatis pravæ initia blandissima, fœdus & luctuosus exitus. De hac allegoria Scyllæ & Charybdis disertè S. Hieron. epistol. ad Heliodor. Hoc ego non integra rate & mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo; sed quasi nuper naufragio ejectus in litus, doctus nauta, timida navigaturis voce denuntio: in illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiaæ naufragia Scylla, ceu renidens libido blanditur. Hic diabolus pirata cum sociis portat vincula, capiendis. Nolite credere, nolite esse securi: licet in modum stagni æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi terga crispentur; magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis.

IV. (d) Tertia est P. Francisci Pompeii in Pantheo Mythico.

Charybdis,

(c) *Scylla & Charybdis, in illa voluptas.* (d) *Charybdis & Scylla, Luxuria & Gula.*

Charybdis & Scylla, vitia sunt duo immania, hujus vitæ fretum exitabile, infestumque reddentia præternavigantibus; hinc *Luxuria*, illinc *Gula*. Illa Scyllæ instar, nautas incautos, fallaci formæ lenocinio pertrahit, complexosque, plus quam canina rabie; furoréque lupino angit, torquet, discruciat, perdit. Hæc, ceu Charybdis altera, & nunquam exsatiata vorago & gurgis, dilapidat rem domesticam, patrimonia deglutit, exhaurit latifundia, thesauros devorat, absorbet omnia. Confinita sunt, & ex adverso sita hæc vitia duo, quemadmodum Charybdis & Scylla; imò non ex adverso, sed quasi facto foedere, nunquam non conjuncta grassantur. Nec enim facilè reperias hominem, gulæ insignitum infamiâ, qui non idem sit oblitus foedissimarum voluptatum cœno, addictusque turpissimis ac flagitiosissimis libidinibus. Hæc iste.

(e) Mythologus: crediderunt, inquit, alii, hanc fabulam ad moderationem sumptuum spectare; quippe cum incauti in fœnus incidant, tanquam in Scyllæum fretum, unde omniū facultatum uno tempore postea fit jactura. Hoc ego confirmo Tullii verbis, qui in oratione de haruspicio responsis. Quam denique tam immanem Charybdis poëtæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantium, Brogitanorumque prædas exforbuit? Idem Philippic. 2. in Anton. Quæ Charybdis tam vorax: Charybdis dico? quæ si fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius vix videretur tor res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Horatius verò per Charybdis intelligit libidinem lib. 1. Od. 27.

Quanta laboras in Charybdi!

Digne puer meliore flamma.

Quid enim sævius & rapacius, quam fœda voluptas, quæ gurgitis instar rotat & circumagit animum in Veneris Concha navigantem; donec demergat, & absorbeat infelicis æternitatis abyssu sepultum?

V. (f) Quarta est Cœlii Rhodigini lib. 18. c. 3. de Scylla, his verbis. Prima hominis pars, rationalis anima, huic committitur inutilis caro, & fluida, & receptandis tantum cibus habilis, ut ait Possidonius. Virtus illa divina in lubricum desinit, & superioribus partibus venerandis atque cœlestibus, animal iners, & marcidum attexitur: quodque horribilius est, captivam ducit rationem. Plurimis corpus voluptati est, anima oneri: quamvis illud natura, ut quandam vestem ac velamentum circumdederit animo. Ex hac voluptaria officina, mirum est, quanta se promant foeditatum agmina, quæ libidinum turpitudò.

V. (g)

(e) Prodigalities. (f) Scylla significat corpus & animam.

V. (g) Denique libet hic addere tritum adagium: *Evitata charybdi in Scyllam incidi.* Id versu exprimitur.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin. Quò bifariam uti licebit: vel cùm admonebimus, si quando in eas rerum angustias deventum fuerit, ut citra dispendium discedi non queat, è duobus malis, id, quod est levius, eligamus: vel cùm ostendemus negotium anceps & periculosum, in quo summa moderatione sit opus, ut in neutram partem peccetur. Non rarò nocuit, nimum vela permisisse ventis; tumor ipse & inflatio navium allisit in scopulos, & fregit. Securiùs aliquando, etsi lentius utimur remis. Velocior cursus festinat ad pericula. Multos perdidit fortuna secundior, qui rebus adversis tutò jactabantur; Servati sunt in calamitatum charybdi; Scyllam reppererunt in felicitate. Tanti refert inter Charybdin & Scyllam naviganti, velis præcipitet navim, an torqueat remis. Ancipiti qui malo premitur, minus eligit. Et sæpè discrimen unum alio pertumpendum est.

(g) *E Charybdi in Scyllam.*

SYMBOLUM LXIII.

Iphigenia, Regis Agamemnonis Filia, ad aram
victima.

12. *Metam. Homerus lib. 2. Iliad.*

Ethicè.

1. Dæmonis crudelia sacrificia. 2. Innocens pro nocente plectitur.
3. Charitas patriæ. 4. Auxilium Dei subitum.

Conjurati in Phrygiæ perniciem Græci Principes, cum navibus mille centum octoginta sex, ut Homerus refert: ut verò Dictys Cretensis cum mille ducentis nonaginta quinque: seu ut Dares Phrygius habet, mille centum quadraginta navium classe, reliquòque belli apparatu in *Aulide*, Bœotia portu, convenerant, ut inde pariter ad evertendum regnum Troianum, ulturi injurias à Paride, Helenam, Menelai regis, uxorem perfidè rapiente, illatas, navigarent. Antequam solverent, cùm Jovi sacrificare vellent, ecce serpens platanum, aræ im-

A a a

minen-